



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. Quid & quot sunt qualitates primæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

elementis exigit connaturaliter omnes qualitates primas, quas exigit mixtum, nec consequenter potest illas qualitates, aut in ordine ad illas facere quod potest facere mixtum; bene tamen potest dici, quod mixta continentur virtualiter in omnibus elementis simul sumptis; imò perfectius sic continentur in elementis, quam elementa in illis, quia perfectius possunt omnia elementa disponere ad productionem mixtorum, quam hæc ad productionem elementorum, quandoquidem elementa cum contineant qualitates primas in summo, possunt producere omnem gradum dispositiui ad formas mixtorum: hæc vero, cum non habeant illas qualitates in summo, nequeunt producere ex se gradum dispositiui ad formam elementari.

20. *Obijciat pro Caietano*, qui putat mixtum ratione formæ substantialis suæ, non posse dici continere elementa virtualiter: Si elementa virtualiter hoc modo continerentur in mixtis, possent mixta producere operationes elementorum perfectiori modo quam elementa, quod est falsum: neque enim ullam mixtum potest magis, aut perfectius calefacere, quam ignis: non ergo continentur sic virtualiter in illis.

Respondeo, negando sequelam, quamvis enim quod continet aliud virtualiter continentia perfecta, possit facere quod possit aliud, vel perfectius, vel æquè perfectè; tamè non omnis continentia virtualis debet esse sic perfecta, & si non sit sic perfecta, non sequitur quod continens sic aliud, possit facere operationes alterius æquè perfectè, aut perfectius. In proposito autem mixta non continent elementa virtualiter continentia virtuali perfecta, sed solum illa, quæ declaratur in conclusione, quatenus scilicet habent convenientiam cum elementis, & in qualitatibus primis, & in forma substantiali.

Dices: si talis convenientia sufficeret, vnum elementum contineret aliud, verbi gratia, ignis terram, aut è contra, quandoquidem conveniat cum terra in siccitate, & in forma etiam substantiali quatenus est principium exigens siccitatem.

Respondeo, negando sequelam, quia convenientia, quæ est inter mixta, & elementa, ratione cuius dicuntur hæc in illis virtualiter contineri, est convenientia in omnibus primis qualitatibus, quas elementa habent; terra autem non habet convenientiam cum igne in calore, ut communius tenetur, de quo tamen postea, nec ignis cum terra in frigore. Quod si vnum elementum haberet convenientiam cum alio in omnibus qualitatibus primis, fatendum esset quod vnum in altero contineretur virtualiter, nec hoc esset inconueniens.

21. *Obijciat secundo*: si qualitates elementorum essent formaliter in mixtis, sequeretur contrarietas qualitates esse simul in eodem subiecto: sed hoc est contra *Scotum* supra dicentem illas qualitates non contineri formaliter in mixtis.

Respondeo, distinguendo sequelam: in gradibus remissis compatibilibus, concedo; incompatibilibus, nego sequelam. Ad *Scotum* autem dico, quod ipse non asserat absolute qualitates elementorum non esse in gradibus remissis in mixto, sed solum quod non esset id necessarium ad rationem formalem mixti, neque ad hoc quod continerentur in illo virtualiter elementa: quod quidem verissimum est: nam si mixtis non darentur illæ qualitates formaliter, sed alia qualitas una simplex, qua mediante posset mixtum actione æquiuoca calefacere, & frigefacere, & cætera, haberet rationem mixti, & elementa posset dici in ipso virtualiter manere non minus, quam habendo illas qualitates omnes formaliter.

Obijciat tertio: sequeretur mixtum esse perfectius elementis, quia quod continet aliqua virtualiter, est perfectius illis: sed hoc est falsum, quia sic elementa non possent causare mixta.

Respondeatur primo, negando sequelam; quia non continet illa continentia virtuali perfecta.

Respondeo secundo, negando minorem, ad cuius probationem dico elementa sola non causare mixta, sed disponunt tantum ad formam mixti, quæ producitur ab ali-

qua alia causa, vel inferiori, si adest sufficiens; vel superiori, si non adest.

QVÆSTIO III.

Quid, & quot sint qualitates primæ.

22. *Supponebamus* hæc dari qualitates primas, & eas convenire tam elementis, quam mixtis, diverso tamen modo. Hic ergo examinandum quid sint istæ qualitates primæ, & quot sint. Et quidem satis notum est experientia, quid sint illa, quæ communiter vocantur *qualitates primæ*: nemo enim non scit quid sit calor, quid frigus, quid siccitas, quid humiditas; nec melius hæc explicari possunt ignorantibus ipsorum naturam, & non potenti ea ab aliis rebus discernere, quam applicando illa ad potentiam activam ipsius, & dicendo illi quod calor sit id, quod causat talem sensationem, qualem ipse tum sentit applicato calore: per hoc enim ipse poterit postea calorem distinguere ab aliis omnibus rebus non minus, quam per disgregationem visus quam percipit, obiecta albedine potentie visive, potest discernere albedinem ab omnibus aliis rebus. Et eodem modo explicari potest natura frigoris, siccitatis, & humiditatis: sed per hoc tamen non explicatur cur sint qualitates primæ. Hoc ergo est quod hic declarandum est, quid sit scilicet qualitas prima, & quot sint. Nec difficultas movetur generaliter de quacunque qualitate, quæ posset habere rationem primæ qualitatis quomodocunque, sed de ea, quæ potest habere rationem primæ qualitatis, in ordine ad generationem, & corruptionem ex iis omnibus, quæ solis sublunariis competunt & sunt sensibiles, unde ab hac questione semoveri debet non solum lux, quæ non solum sublunariis competit & intellectiones ac volitiones, quæ sunt spirituales qualitates, sed etiam qualitates occultæ quacunque non sensibiles, qualis supponitur esse illa, qua mediante magnes attrahit ferrum, & similia.

CONCLUSIO I.

23. *Bene describuntur qualitates primæ esse, quæ neque ex se inveniuntur, neque ex alijs fiunt; cætera vero qualitates sensibiles sublunares fiunt ex illis.* Hæc est communissima.

Paret, quia omni & soli qualitati primæ, de qua hic agimus, hæc descriptio convenit, & declarat sufficienter naturam eius quatenus habet rationem primæ qualitatis, nec melius explicari potest.

CONCLUSIO II.

24. *Quatuor tantum dantur huiusmodi qualitates, nimirum calor, frigus, humiditas, siccitas; si tamen humiditas & siccitas sint qualitates, de quo postea, & si non, due tantum dantur qualitates primæ, nempe calor & frigus.* Hæc est communis.

Paret, quia in primis ex his qualitatibus nulla connaturaliter loquendo præsupponit alteram, aut aliam ullam sensibilem, ex qua fieret vlla ratio: ergo neque ex se, neque ex alijs fiunt hæc qualitates.

Deinde nulla potest assignari alia sensibilis qualitas, quæ non possit dici fieri ex his aliqua ratione: ergo aliæ omnes qualitates ex his fiunt: & consequenter hæc quatuor erunt qualitates primæ, & nullæ aliæ.

Confirmatur primo: quia hæc qualitates sunt qualitates propriæ elementorum, ex quibus alia corpora fiunt, & quæ nec ex se ipsis neque ex alijs fiunt: ergo similiter dicendum est quod hæc qualitates non fiunt ex se, aut ex alijs qualitatibus, sed potius aliæ omnes ex illis fiunt.

Confirmatur secundo: quia nullæ qualitates aliæ sensibiles competentes alijs corporibus mixtis reperiuntur absque his qualitatibus omnibus, quælibet autem ex his reperiuntur absque vlla ex qualitatibus illis alijs, & etiam sine quacunque ex se ipsis: ergo signum est quod hæc non præexigant connaturaliter villas ex illis alijs qualitatibus, nec ex se ipsis, & quod aliæ omnes qualitates præexigant has.

25. *Probat* antecedens quoad primam partem, quia aliæ qualitates illæ per se non reperiuntur in mixtis; hæc autem

Descriptio
qualitatis
primæ
naturæ.

Quatuor
tantum
dantur
qualitates
primæ.

autem qualitates omnes in illis reperiuntur. Probatur etiam quoad secundam partem, quia licet siccitas reperiatur cum frigore in terra, ut communius tenetur, tamen reperiatur etiam in igne sine frigore; & licet reperiatur in igne cum calore, tamen reperiatur in terra aut aliis corporibus sine calore. Similiter licet humiditas reperiatur in aqua cum frigore, reperiatur tamen in aëre aut aliis corporibus sine frigore; & licet reperiatur in aëre, aut aliis corporibus cum calore, reperiatur tamen in aqua sine calore.

Confirmatur tertio; quia omnes aliae qualitates sequuntur ad formam mixtorum, & non debent produci per se ante generationem formae mixti: haec autem debent necessario produci antecedenter ad generationem formae mixti: ergo sicut ipsamet mixta possunt dici fieri ex his qualitatibus, etiam illae aliae qualitates sequentes ad formam mixti debent dici fieri ex his.

Confirmatur quarto quia secundum Philosophum secundo de partibus animalium, ceterae qualitates tangibiles sunt ex his qualitatibus. Idem ait de saporibus cap. 4. de sensu, & sensibili, & de saporibus ibidem cap. 5. & de coloribus sect. ult. problem. & de sonis ibid. sect. 11. & de gravitate & leuitate cap. 3. de partibus animalium. Quae etiam doctrina ipsius confirmatur experientia, qua constat ex mutationibus harum qualitatum corpora laxari, stringi, addensari, rarefcere, reddi duriora, aut molliora, asperiora aut leniora; & insuper sapores, odores, colores aliquo modo quoad sensum alterari.

CONCLUSIO III.

Qualitates primae sunt reales, & positivae.

26. *Predicta quatuor qualitates sunt reales & positivae.* Haec est etiam communis contra quosdam antiquos, qui existimauerunt frigus & siccitatem non esse qualitates positivas, sed priuationes tantum caloris & humiditatis, quamvis concederent calorem & humiditatem esse qualitates positivas: est etiam contra Arriagam, qui hic n. 9. contra torrentem Peripateticorum probabilius putat siccitatem & humiditatem non esse qualitates; & consequenter duas tantum dari qualitates primas, calorem scilicet, & frigus.

Probatur primo contra antiquos, quia non est potior ratio cur frigus esset priuatio caloris, aut siccitas humiditatis, quam e contra calor esset priuatio frigoris, & humiditas siccitatis.

Probatur secundo, quia quicquid probat calorem & humiditatem esse qualitates positivas, probat etiam idem de frigore & siccitate.

Probatur tertio, quia corpus frigidum facit aliud corpus frigidum, & diminuit calorem ipsius, non producendo aliquid aliud in ipso quam frigus: sed hoc esset falsum, si frigus esset priuatio; neque enim priuatio potest directe, & per se produci ab aliqua causa; aut aliud producere, ut est evidens.

Probatur conclusio contra Arriagam, quia per tactum sentimus corpora esse humida & sicca: ergo humiditas & siccitas sunt qualitates: nihil enim per se sentitur a tactu, quod non sit qualitas, secundum omnes Philosophos, & ipsum etiam Arriagam. Probatur antecedens, quia si non experiremur tactu aliqua corpora esse humida, aliqua sicca, aliunde nobis id non constaret: & sane mirum est, cum Arriaga fateatur dari corpora humida & sicca, eum tamen asserere humiditatem & siccitatem non percipi a tactu, aut alio sensu.

27. *Diges cum ipso*: si aliquis tangat aquam humidam, nec dolet, nec molestiam inde sentit, nisi quatenus aqua est frigida aut calida, nec homo quamvis in se siccissimus sit, sentit quidpiam, nisi febrim vel ardorem habeat: ergo humiditas & siccitas non reperiuntur.

Sane miror hunc huius auctoris discursum, & multo magis miror eo ipsum duci potuisse ad discedendum ab opinione communissima omnium Philosophorum: sed Respondeo negando consequentiam, quidquid sit de antecedente: nam non consequitur ex eo, quod aliquis dolorem aut molestiam non sentiat ex perceptione alicuius obiecti, quod illud obiectum non sentiat ab ipso; neque enim omnia obiecta sensibilia debent esse illatiua doloris aut

molestiae; & certe ipse calor & frigus non semper, dum percipiuntur, inferunt dolorem aut molestiam: & de colore experientia constat raro, aut nunquam eum inferre dolorem; nec etiam est necesse ut quod sentitur semper inferat voluptatem, & certe non potius debet caulare dolorem quam voluptatem.

Ad illud de homine, qui non sentit in se siccitatem, imprimis est falsum, si vna manu tangat alteram siccam, quod non sentit in se siccitatem. Et si velit hic auctor quod nisi per vnam partem tangat alteram, non possit in se sentire siccitatem, quamvis id esset verum, non facit ad rem: quia posset esse talis natura siccitatis, quod non caularet sensationem sui, nisi in altero subiecto sibi applicato, in quo non caularet siccitatem.

Probatur secundo contra eundem, quia humor vini manet in speciebus Eucharisticis post consecrationem; sed in iis non remanet vlla pars substantiae vini: ergo humor vini distinguitur realiter a substantia eius, & consequenter erit qualitas; neque enim est quantitas aut relatio vlla extrinsecus adueniens.

Respondet Arriaga, non manere ibi humorem, sed partes quantitatis cum ea fluxibilitate quam haberent, si adessent ibi partes substantiales vini.

Sed contra, quia illa fluxibilitas, a qua habent esse humida, est quid distinctum a substantia, quantitate, & accidentibus aliis vini: ergo est qualitas, & consequenter habemus intentum.

Obijciunt primo pro antiquis: solo abscessu caloris augetur frigus absque productione vllius gradus frigoris: ergo signum est quod frigus sit priuatio caloris.

Respondeo, negando antecedens: quando enim affertur calor, producitur frigus, per quod expellatur: quod si etiam non semper produceretur frigus, licet tum sentiretur abscedente calore frigus magis quam ante, tamen adhuc negari deberet consequentia, quia hoc non oriretur ex eo, quod frigus sit priuatio caloris; sed ex eo, quod abscedente calore, minus distrahatur potentia tactiva, & magis possit consequenter attendere frigori. Imo argumentum potest retorqueri, quia si magis sentiretur frigus: ergo est aliquid positivum: neque enim priuatio sentiri potest proprie loquendo.

Obijciunt pro Arriaga: humiditas, & siccitas non sunt operativae, nec sentiuntur in se, aut aliunde: ergo non dantur. Probatur antecedens quoad primam partem, quia totus Oceanus applicatus subiecto capaci humiditatis, si vel tenuissimum vitrum interponeretur, non humectaret illud. Simili experientia idem probari potest de siccitate. Probatur etiam quoad secundam partem per dicta supra.

Respondetur, negando antecedens quoad secundam partem; cuius ratio patet ex dictis supra. An autem antecedens sit verum quoad primam partem, nolo hic examinare, quia non est necessarium ad praesentem difficultatem.

CONCLUSIO IV.

29. *Non dantur in Elementis praeter predictas primas qualitates, aliae qualitates virtuales eiusdem nominis cum ipsis*, verbi gratia, praeter qualitatem caloris formalem non datur aliqua qualitas caloris virtualis in igne; nec praeter qualitatem frigoris formalem datur alia qualitas frigoris virtualis in aqua. Haec est communis contra quosdam antiquos.

Probatur ab aliquibus: quia alias illae quatuor qualitates formales non essent primae qualitates: sed potius illae virtuales contra Philosophum.

Verum haec probatio non sufficit primo: quia falsa est sequela: illae enim essent primae ex sensibilibus, nam qualitates virtuales non sunt sensibiles.

Secundo, quia si ex hoc sequeretur quod non essent primae, id non haberent aduersarij pro inconuenienti.

Probatur ergo melius conclusio, quia nullum est indicium, unde vel a priori, vel a posteriori colligi possit dari huiusmodi qualitates: ergo non sunt asserendae, ex regula communi de non multiplicandis entibus sine necessitate.

Dico,

CONCLUSIO II.

Dices, id colligi bene ex eo, quod aqua calefacta producat in se frigus: hoc enim non facit mediante frigore formali: ergo mediante virtuali, & consequenter habet frigus virtuale.

Contra, quia falsa est consequentia; nam posset se reducere iterum ad frigus per formam suam substantialem.

30. *Confirmatur hoc*: quia quæro quomodo produxit in se illam qualitatem virtualem: non mediante alia qualitate virtuali, quia sic daretur processus in infinitum: ergo mediante forma sua substantiali: sed qua ratione posset per formam substantialem producere in se frigus illud virtuale, posset etiam in se mediante ea forma producere frigus formale: ergo non est necessarium frigus virtuale.

Quod si dicas frigus virtuale produci à generante in aqua, & conservari in ea à causa conservante aquam; similiter posset dici quod causa conservans aquam produceret in ipsa frigus formale, quando aufertur causa calefactiva; & sic etiam non est necessarium frigus virtuale.

Dices secundo: mixta habent huiusmodi qualitates virtuales: ergo & elementa.

Probatur antecedens, quia piper, & vinum formaliter frigida calefaciunt stomachum: non mediante calore formali, cum supponatur talem non esse in ipsis: ergo mediante calore virtuali.

Respondet, negando consequentiam; quia experientia constat mixta illa tales qualitates habere (si tamen eas habeant, & non producant potius illum calorem per suam formam substantialem) non autem constar idem de elementis.

Confirmatur hoc: quia non est experientia vlla, quod aqua calida frigefaciat aliud corpus quemadmodum vinum frigidum calefacit aliud corpus; sed potius experientia est de opposito: ergo non est idem dicendum de aqua, & vino quantum ad hoc. Deinde non constar experientia quod piper calefaciat se ipsum per calorem virtualem, sicut est de aqua calefacta quod frigefaciat se: ergo non est eadem ratio de ipsis.

QVÆSTIO IV.

Quomodo primæ qualitates distributæ sunt per Elementa.

31. *Sententiæ diversæ.* **M**irum est quam parum in huius quæstionis resolutione conveniant inter se authores. *Aliqui* putant duas qualitates in summo convenire cuilibet ex duobus extremis elementis, verbi gratia, igni calorem, & siccitatem; aliis vero duobus mediis convenire vnam qualitatem in summo, & alteram in gradu remissiori, verbi gr. aquæ frigus in summo, & humiditatem infra summum; æri vero humiditatem in summo, & calorem infra summum. Ita *Auerſa* q. 41. s. 8.

Alij existimant vnam tantum in summo qualitatem cuilibet convenire, & alteram infra summum; & in assignanda qualitate summa cuiuslibet elementi dissentiunt. Nonnulli putant æri ex se nullam qualitatem convenire, sed esse indifferentem ad quascumque. Varios alios dicendi modos relinquo videndos apud *Auerſam*, contentus proponere quid probabilius apparet iuxta experientiam, quæ in hac re videtur debere esse vnicum fundamentum; nam rationes nullæ possunt afferri præter congruentias aliquas parvi momenti, quales nulli ferè sententiæ deesse possunt.

CONCLUSIO I.

32. *Summus calor convenit igni, & summa etiam siccitas.* Hæc est *Auerſa* supra; & quantum ad calorem est communissima, ac etiam quantum ad siccitatem, præter quæ quod non afferatur siccitatem ignis esse summam.

Probatur experientia, quia non habemus experientiam quod vllum aliud elementum, aut mixtum sit calidius, aut magis siccum, quam ignis; nec est vlla ratio impediens, quo minus habeat utramque qualitatem in summo.

33. *Summa humiditas competit aquæ, & probabiliter etiam summum frigus.* Hæc quoad primam partem est plurimum antiquorum, quos sequitur *Arriaga*, & probatur experientia, quia non experimur vllum aliud elementum, aut aliud corpus esse humidius aqua; nec vlla ratio impedit quo minus sit humida in summo: ergo ita dicendum est. Probatur antecedens, quia si esset vllum aliud elementum humidius, maxime ær; sed omnino non habemus vllam experientiam, aut rationem quod ær sit humidior aqua; nec etiam tam humectat corpora sibi exposita; nec etiam tam facile potest aqua privari sua humiditate quam ær.

Dices: quod ær non tantopere humectet, non oriri ex defectu humiditatis, sed ex eo quod non sit substantia tam densa, quam sit aqua; & hinc etiam oritur quod possit facilius privari sua humiditate.

Contra, quia licet ignis sit secundum adversarios rarior quæ ær, magis tamen calefacit quam ær calefactus quantum potest esse, quia in se habet maiorem calorem quam ær: ergo quamvis ær esset rarior quam aqua, non obstante hoc, si haberet plus humiditatis, deberet magis humectare.

Confirmatur, quia quamvis densitas materiæ possit iuvare ut magis esset activa, & magis sentiretur qualitas ipsius, ut patet in ferro candenti, cuius calor magis sentiretur quam calor ignis, ut supponitur; tamen non est tanta differentia in densitate aquæ, & æris, ut possit sufficere ad eam notabilem differentiam in humectando, quam experimur inter aquam & ærem.

Alij dicunt, ærem apud nos nunquam habere humiditatem tantam, quantum exigit ex natura sua, quia à contrariis causis impeditur.

Sed contra, si apud nos nunquam habet tantam humiditatem, & propterea nulla experientia nostra possumus colligere quod exigit tantam, non est vlla alia via relicta, unde colligatur quod tantam exigit ex natura sua, quantum aqua.

Probatur secundo, sententia eorum qui dicunt quod summum frigus non competit aquæ: quia aliqua qualitas debet competere aquæ in summo secundum adversarios: sed nulla alia sic competit ipsi, præter humiditatem; si enim vlla alia, maxime frigus; sed hoc non, ut supponitur in eorum sententia.

Probatur secunda pars de frigore, quia experientia nulla constat aliquod aliud elementum esse frigidius, quam aqua sit ex natura sua, & quia quemadmodum ignis habet duas qualitates oppositas qualitatibus aquæ in summo, verisimile est quod aqua similiter habeat duas suas qualitates in summo.

34. *Dices*: experientia constat ex nimio frigore aquam congelari: ergo qualitas naturalis sua non est nimium frigus. Probatur consequentia, quia alias ex natura sua exigeret esse congelata; quod prorsus est absurdum, quia in tali statu non esset apta habitatio pro piscibus, nec pro navigatione, & aliis potioribus vlibus; pro quibus credendum est aquam à Deo fuisse creatam.

Confirmatur, quia nullam prorsus experientiam habemus, unde constat nobis aquam esse tam frigidam ex se, quam est dum congelatur, aut dum regnant influentiæ frigida celorum, ac æris: ergo non est dicendum quod ex se petat connaturaliter frigus in summo.

Respondet, negando antecedens: neque enim congelatio illa ex frigore solo provenit, sed ex aliis etiam qualitatibus tum in ea productis simul cum frigore.

Ad confirmationem respondeo, esse experientiam quod aqua quandoque sit tam frigida absque congelatione, ac cum congelatione præter saltē differentiam illam exigentiam, quæ oriri posset non ex maiori frigore, sed ex densitate eius.

Alij probant conclusionem quoad hanc partem, quia aqua est summe contraria igni, ut patet ex eo quod extinguit ignem: ergo debet habere frigus in summo, sicut ignis calorem.

Sed facile responderi potest, distinguendo antecedens: ratione

Igni convenit summus calor, & summa siccitas.